



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

7. Quis potest absolvere ab incursa excommunicatione propter abortum?
Sed difficultas est, quisnam dicatur Confessarius specialiter deputatus, ut
possit absolvere ab excommunicatione propter abortum? ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

agnoscere. Necare videtur non tantum is, qui partum præfocatur, sed etiam is, qui abicit, & l. si mulierem ff. ad leg. Aquil. de sicariis. Si mulierem visceribus suis vim intulisse, quod partum suum abigeret, confiteri, eam in exilium Præles provincie exigat. Idemque habetur l. Divus, ff. de exor. crim. & l. Cicero, ff. de penis & constat ex oratione pro Cluentio. Marcus Tullius cum esset in Asia, Milesiam mulierem capite damnavit, eo quod accepta à secundis hæredibus pecunia, sibi ipsi medicamentis partum abegisset. Si verò fetus nondum animatus erat, is cuius opera ejicitur, si sit honestæ conditionis, amissa bonorum parte, in insulam relegatur, si humilioris & inferioris sit conditionis, in metallum damnatur l. si quis aliquid, §. qui abortivis, ff. de penis.

RESOL. IV.

De penis procurantium abortum ex jure novo Sixti V.
Ex p. 7. tract. 5. Ref. 4.

§. 1. **S**ixtus V. in Constit. 87. edita anno 1588. quæ incipit, Effrænatam, decernit in §. 1. eos, qui per se, vel per interpositas personas abortum factus animati procuraverint, percussionibus, venenis, medicamentis, oneribus, aliisve modis abortu secuto; & prægnantes mulieres, quæ præmissa scienter fecerint, teneri penis omnibus jure divino, canonico, & civili statutis contra veros homicidas.

2. Similiter §. 2. 3. 4. eosdem incurrere irregularitatem, unde nec promoveri possunt, nec si jam promoti sunt, ministrare, sed eo ipso omni privilegio clericali officio, & beneficio esse privatos, quæ sic vacatura reserventur dispositioni Papæ, atque inhabiles in futurum, etiam si delictum fuerit occultum. Et qui foro Ecclesiastico sunt subjecti, degradati tradantur foro seculari capitali pena puniendi.

3. §. 5. Similibus penis vult teneri eos, qui sterilitatis potiones ac venena propinaverint mulieribus, aut quo minus fetus concipiant, impedimentum præstiterint, consuluerint, ac auxiliari fuerint: nec non & mulieres quæ ea scienter sumpserint.

4. §. 6. Deturque in hoc crimine puniendo inter Iudices præventio contra quoscunque & testes jure inhabiles, suo arbitratu recipiant, & penis afficiant reos.

5. §. 7. & 8. Insuper prædictos omnes, qui vel uti principales, vel ut socij, consuevi ad tale facinus opem, consilium, favorem, potionem, aut medicamenta scienter dederint, aut etiam scribendo literas, vel apochas, vel aliis verbis, aut signis iuverint, aut consuluerint, ipso facto excommunicationem incurrant, à qua nequeant absolui (nisi in mortis articulo) nec etiam vi Iubilei, aut vigore Concilij Tridentini, nisi à Romano Pontifice, & similiter ab irregularitate, hac de causa contracta, ab eo tantum urgentissimis de causis dispensari possit. Non obstantibus, &c.

RESOL. V.

Quas penas Gregorius XIV. circa prædictam constitutionem Sixti V. moderavit? Ex part. 7. tract. 5. Resolut. 5.

§. 1. **G**regorius XIV. in Constit. 8. edita anno 1591. quæ incipit Sedes Apostolica, moderavit Bullam Sixti V. contra procurantes abortum. Vnde in §. 2. statuit, si fetus animatus fuerit, tam ad eos, qui

hactenus deliquerunt, quam in futuro deliquerint, præfocato à Sixto V. §. 1. §. 7. ut à peccato, & excommunicatione possit quilibet Presbyter tam secularis, quam regularis ad confessiones audiendas, & ad hoc casus specialiter per Ordinarium loci deputatus in foro tamen conscientie, absolvi: si verò fetus animatus non fuerit, penas abortum procurantium, & exhibentium mulieribus, & suscipientium venena sterilitatis, aut quocunque modo dantium auxilium, & consilium reducit §. 3. ad terminos juris communis, sacrorum Canonum, & Conc. Tridentini, tam quoad præterita, quam quoad futura, §. 4. Cætera verò omnia, quæ in Bulla Sixti continentur vult in suo robore manere.

His positis multæ extant circa præsentem materiam, curiosæ difficultates; Idem quæ 10.

RESOL. VI.

An in facultate Iubilei absolviendi à casibus & censuris reservatis includatur absolutio abortus?
Et docetur, quod casus abortus non est amplius Papalis, sed Episcopalis.

At vero, quando Episcopus, seu Ordinarius generaliter concedit alicui Confessario facultatem absolviendi à casibus, & censuris sibi reservatis, tunc non censetur concessus abortus factus animati per Gregorij Constitutionem, nisi specificetur. Ex p. 7. tr. 5. Ref. 19.

§. 1. **R**espondeo quod negativam sententiam docuit Sup. l. 1. specificeatur, quod ait constare ex Bulla Gregorij XIV. incipiente, Sedes Apostolica, edita pridie Calend. Iunii 1591.

2. At certum est comprehendere; quia licet Sixtus V. in Bulla incipiente, Effrænatam, die 26. Novemb. 1588. editam afficiat abortum factus animati excommunicatione ipso facto incurrenda, illamque sedi Apostolicæ reservet, & decernat non censeri comprehensam in facultate generali absolviendi à censuris etiam per Iubileum concessa: nihilominus Gregorius XIV. in prædicta sua constitutione abstinuit prædictam reservationem, & facit potestatem cuiusque loci Ordinarii absolviendi à prædicta excommunicatione per se, vel per alium Confessarium ad id specialiter deputatum, ut tradunt Rodriq. in Bullam Cruciatæ, §. 9. n. 88. Quaranta verbo abortus, & Gavanti in manuali Episcop. cop. verbo abortus, num. 4. & verbo, absolutio, num. 36. ac proinde casus abortus non est amplius Papalis, sed Episcopalis. Casus autem Episcopales in Iubileo censentur omnes concessi, ut supra ostensum est. Quare dictum Lavorij procedit tantum quando Episcopus, seu Ordinarius generaliter concedit alicui Confessario facultatem absolviendi à casibus, & censuris sibi reservatis, tunc enim non censetur concessus abortus factus animati per dictam Gregorij Constitutionem, nisi specificetur. Et hæc omnia docet Angel. Bossius, tract. de Iubileo sect. 1. cap. 6. n. 1. & 2.

RESOL. VII.

Quis possit absolvere ab incursa excommunicatione propter abortum?
Sed difficultas est, quisnam dicatur Confessarius specialiter deputatus, ut possit absolvere ab excommunicatione propter abortum?
Et notatur non posse Confessarium sacramentalem absolvere penitentem, qui commisit abortum factus animati.
Et quid de Religiosis virtute privilegiorum, si ad hoc per Previn

Provinciales non sint deputati? Ex part. 7. tract. 5. Refol. 15.

Respondeo solus Papa in terminis Bullæ Sixti V. quam tamen postea moderavit Gregorius XI V. & idèd nunc in foro interno potest quilibet Confessarius approbatus ab Ordinario, & ad id specialiter deputatus à dicta excommunicatione absolvere. Cæterum ut observat Mazuchellus tractat. de casu refer. disputat. 2. cap. 3. quest. 1. num. 2. pro absolutione in foro exteriori obtinenda recurrendum est ad summum Pontificem, cui ea est reservata. Et licet P. Thefaurus in praxi, parte 2. cap. 1. num. 1. asserat pro absolutione hujus censuræ non esse recurrendum ad Sedem Apostolicam, cum hodie sit reservata locorum Ordinariis, tamen hoc intelligendum est pro foro conscientie.

2. Sed difficultas est, quisnam dicatur Confessarius specialiter deputatus, ut possit absolvere ab excommunicatione incurta propter abortum? Respondet sic Bonacina tom. 3. disputat. 2. question. 2. punct. 10. numero 16. Dico non solum eum censeri ad hos casus specialiter deputatum, qui facultatem habet absolvendi in individuo ab excommunicatione propter abortum contracta, verum etiam qui facultatem habet absolvendi ab omnibus censuris, & excommunicationibus Episcopo reservatis: nam in hujusmodi facultate hic etiam comprehenditur videtur; illa enim particula, specialiter non est adjecta ad excludendam absolutionem ab aliis censuris, sed ad indicandum, non posse quemquam virtute alicujus facultatis absolvere, nisi ea facultas ad hos etiam casus extendatur: non enim sufficit facultas absolvendi ab aliquo casu ab hoc distincto; facultas verò absolvendi ab omnibus casibus reservatis Episcopo, si distributivè explicetur, proculdubio casum abortus specialiter comprehendit. Hac de causa censo Pœnitentiarios Ecclesiæ Metropolitanæ Mediolanæ, privilegium habentes absolvendi ab omnibus censuris Episcopo reservatis posse beneficium absolutionis ab hac censura conferre: tum quia sunt specialiter deputati ad censuras, & casus reservatos: tum quia sic usu receptum est. Quamvis ego aliàs de hac re non leve dubium haberem, dum Pœnitentiarij munus in præfata Ecclesiâ obirent. Ita Bonacina.

3. Vnde Machadus de perfect. Confessor. tom. 3. libr. 2. cap. 3. tractat. 17. docum. 9. numero 5. sic ait. [Quien sea confessor deputado espialmente para poder absolner desta descomunion en conformidad de lo dispuesto por la dicha constitucion de Gregorio XI V. no consta della. Si bien Bonacina ensena por doctrina cierta, que no solo se deve tener por Confessor espialmente deputado; el que tuviere facultad del Obispo para absolner deste pecado, y descomunion; sino tambien el que tuviere general facultad, para absolner de todos los casos, y descomuniones reservadas al Obispo; por que aquella palabra specialiter, no la puso el Pontifice para excluir la absolucion de las demas censuras, sino para mostrar, que era necessaria facultad, que tambien comprehendiesse este caso, y absolucion.] Ita ille Vide etiam nostrum P. Alphonsum de Leone de censur. Recollet. 7. num. 50.

2. Verum Mazuchellus ubi supra, tract. de casu refer. disputat. 2. cap. 5. difficult. 4. num. 68. probabiliter hanc sententiam Bonacina existimaret, si verba Bullæ Gregorij XI V. in contrarium non obstarant, asserentis facultatem absolvendi in foro conscientie ab hoc casu penes eum Confessarium tantum esse, qui specialiter sit per Episcopum, ad hunc casum deputatus. Vnde à fortiori venit refel-

lendus Ioachimus Brunus in resolut. casu referat. dubitat. 11. sect. 3. num. 90. asserens, quod Constitutio Gregoriana concessit, ut quilibet Sacerdos ab Ordinario approbatus ad confessiones audiendas possit absolvere ab excommunicatione incurta ex abortu in foro conscientie. Sed est hoc falsum, ut supra probavimus, ut patet ex Fillucio tom. 1. tractat. 29. cap. 6. num. 100. qui asserit ex Constitutione Gregoriana abortum esse casum reservatum Episcopo: Ergo contra Brunum non potest Confessarius ordinarius illum absolvere.

5. Quæ quidem sunt adeo vera, ut loquens de Confessariis Religiosis sic asserat Villalobos in Sum. tom. 1. tractat. 12. difficult. 14. numero 4. [Mas el que procurasse el aborto, estando animada la criatura, siguiendo el efecto incurre en descomunion y irregularidad, mas puede absolner del pecado, y descomunion qualquiera Confessor aprovado por el Ordinario, y deputado espialmente para esto. Y los Confesores Religiosos, aunque por sus privilegios, puedan absolner de los pecados, y censuras reservadas al Papa, & al Obispo, como se dixo arriba: parece que tienen necesidad para este caso, de estar deputados espialmente por sus Provinciales como dize el Padre Portel: Porque Sixto Quinto, quanto a esto revoco los privilegios de los Religiosos, y Gregorio XI V. lo concedio con esta moderacion.] Ita ille, cui adde Zambellum in Repert. moral. verb. Abortus, num. 2. ideo non est recedendum ab hac sententia: quam etiam novissimè docet Novarius in Summ. Bull. tom. 2. titul. de abortu, num. 13. ubi sic ait, Subamplia; quod Confessores clerici, etiam si sint approbati, non tamen poterunt absolvere ab ista excommunicatione, nisi fuerint ad id specialiter deputati ab Episcopo, ex quo Gregor. XI V. expresse statuit debere esse Confessores ad id specialiter; unde Confessores regulares non possunt ab ista excommunicatione absolvere, nisi specialiter per suos Provinciales deputentur. Ita Novarius, & Trullench in Decal. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 4. num. 8. Videant igitur Confessarij quid faciant.

6. Nota tamen hic obiter Portel. in dub. regul. ver. abortus, num. 6. docere non posse Confessarium secularem absolvere pœnitentem qui commisit abortum fœtus animati, quia jam est homicidium, & homicidium jure communi est reservatum Episcopo; sed hoc alii non admittunt, putantes hodie casus reservatos de jure non esse amplius ex praxi reservatos Episcopis, sed de hoc alibi.

Alibi in to. 7. tr. 1. ref. 169 §. Nota quarto. &c.

RESOL. VIII.

An aliqui præter Episcopos possint absolvere ab excommunicatione incurta propter abortum fœtus animati? Ex p. 7. tract. 5. Ref. 16.

§. 1. **A**d hanc quæst. me citato respondet P. Thef. in praxi part. 2. cap. 1. num. 1. Poterunt etiam Prælati Episcopalem jurisdictionem habentes suos subditos absolvere. Roderic. 99. regular. 33. art. 4. tom. 2. Carolus de casu refer. tit. de Abortu, num. 10. Addit Diana resol. 13. tract. 2. part. 3. §. not. 4. cum Sanchez, & Marullo, quod habentes privilegia absolvendi à censuris quibuscumque etiam Sedi Apostolicæ reservatis, poterunt absolvere à præfata censura: quavis enim ex decreto Sacre Congregationis, de quo dixi, verb. absolutio, capit. 3. isti non possint absolvere à casibus, quos Ordinarij locorum ipsi sibi reservabunt, tamen illud decretum non loquitur de casibus, qui sunt reservati Ordinariis à jure Pontificio, ut patet. Cæterum sæpe solent Ordinarij loco-

Quæ nunc est in to. 7. tr. 1. ref. 169 §. Nota quarto & magis late in alia ref. ejus annot. & hic sup. lege doct. præcedentis ref. signanter §. Quæ quidè-